



Vilhelmus Fœlicius Tiguri natus & educatus fuit. Is primo artificium manuarium didicit, atque Architectonicam exercuit. postea militiam secutus secessit ad Franciscum Gallie regem contulit, atque paulatim apud regni proceres innotuit. Erat is proceræ staturæ homo, præterea membris robustissimis insignis. accedebat & singularis prudenter, cum adiuncta facundia. Itaque in prælijs prouidus & strenuus semper extitit. Cum autem Tigurini externam militiam inhibuerint, atque Vuilhelmus Catholicæ religionis esset, patria reliquit, & Solodori habitare coepit. Habebat eius tempore Carolus Imperator perpetuum ferè cum Gallis

ob Mediolanense ducatum bellum: in eo Vuilhelmus ordines duxit, ac tandem Heluetiorum copijs praefectus ob uitutes fuit. Potissimum uero eius laus Anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto in Pedemontana regione ad Ceresolam apparuit. Tum enim Vastius Mediolanensis gubernator ingenti exercitu progressus, cum Heluetijs & Gallis de rei summa prælio decernere statuit. Habebat Vuilhelmus tredecim signa Heluetiorum secum. aderat & equitatus Galicus. Hostium erant uiginti millia selectissimorum militum, qui in Germania maiori ex parte stipendio conducti erant. Itaque Vuilhelmus suos cohortatus maiorum gloriam proposuit, & ut strenue cura Lantzigeris suo exemplo pugnarent, obtestatus est. Prælio utrinque magno animo inito, tandem uictoria Vuilhelmo cessit. Eo tempore Galli Lantzigeros praesentes delere statuerant. Verum Vuilhelmus intercedens supplices recepit, & postea nudos albo bacillo in patriam remisit. EIus uitutes cum Franciscus rex intellexisset, eum equitem auratum constituit, multis opibus exornauit, atque inter domesticos nobiles ascitum corporis sui custodiæ præfecit. Erat etiam per totam Heluetiam huius Vuilhelmi uitrus celebrissima, unde optimi quicq; milites ad eum ex patria confluabant, & eius consilio adiuti eandem belli gloriam acquirere conabantur.